VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV IN CVRIA DOMINI IVSTITIÆ Aragonum, & Scribania Francisci Lucæ de la Sala, Scribæ principalis eiusdem habito, & actitato, intitulato Processus Correctoris, Fratruum, & Conuentus Beatæ Mariæ de la Victoria, Ordinis S. Francisci de Paula præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ, super Emparamento.

IN Processu & causa in Curia Domini Iustitię Aragonum habito, & actitato, intitulato Processus Correctoris Fratruum & Conuētus Beatę Marię de la Victoria, Ordinis Sancti Francisci de Paula Ciuitatis Cæsaraugustæ, super emparamento. Interuenientibus in Camera Consilij eiusdem Curiæ Illustrissimo Domino Don Augustino de Villanueua & Diez, milite Maiestatis Domini nostri Regis Consiliario, ac Iustitia Aragonum, & Illustribus Dominis Hieronymo Garcia de Benauarre & Prad, Hieronymo Torrero & Embun, Didaco Canales, Ioanne Chrisostomo de Exea, & Hieronymo del Caluo, eius Locumtenentibus. Existenteque dicto, & præintitulato processu in deliberatione super sententia diffinitiua in eodem ferenda. QVATVOR ex dictis Dominis Locumtenentibus fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & recipere propositionem Iurisfirmæ Magnifici Doctoris Gasparis Lupercij Taraçona Regij Consiliarij, & Ioannæ Marię Albarez coniugum, principalium Michaelis Hieronymi de Rios procuratoris, sub fideiussoribus præstitis, & alijs arbitrio nostro præstandis, alijs propositionibus reiectis, & repulsis, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere. EX EO, & aliàs mandantur restitui dicta bona emparata Magnifico Gaspari Lupercio Tarazona Regio Consiliario, & Ioannę Mariæ Albarez coniungibus, quia constat Ioannem del Cornal prædicta censualia emparata mandasse Ioannę Marię del Cornal suæ sorori in Capitulis matrimonialibus inhitis cum Petro Hieronymo la Raga. Constatque prædictam Ioannam del Cornal, suo vltimo testamento reliquisse omnia sua bona dicto Petro Hieronymo la Raga, sua viduitate durante, & post eius mortem, reliquit hæredem vniuersalem dictam Ioannam Mariam Albarez. Constat etiam dictum Petrum Hieronymum ab hac vita migrasse, euenisseq; casum vocationis in prædictis bonis. Et denique constat dictos Gasparem Lupertium, & Ioannam Mariã esse coniuges, ideò meritò, eorum iurisfirma recipitur, cum veniant, cum casu manifesto,

quod per necessarium est, secundum nostros foros, ad obtinendum in præsenti processu emparamenti. Non autem recipitur iurisfirma Correctoris, Patruum, Fratruum, & Conuentus Beatæ Virginis de la Victoria præsentis Ciuitatis, quia quamuis se includant, cum eisdem Capitulis matrimonialibus præsertim cum clausula, tenoris sequentis. *Et aun con tal pacto, vinclo, y condicion, que si acaeciere (lo que Dios no mande) la dicha Doña Iuana Maria del Cornal morir sin hijos del presente matrimonio, o descendientes dellos legitimos, que en tal caso los ciento y sesenta mil sueldos Iaqueses, parte y porcion de los dichos bienes dotales ayan de recaer, y recaygan en el dicho Iuan del Cornal su heredero, si viuo sera, y sino en quien el por palabras expressas y particulares, y no por generales aura dispuesto, y ordenado*, & constet dictum Ioannem del Cornal, mediante suo testamento de prædicta quantitate mandata suæ sorori, & sibi reseruata disposuisse in prædictos Religiosos emparantes, quia cum sit reseruatio generica, in prædictis omnibus bonis dotalibus, non autem specifica, cum non reseruet prædictam quantitatem super certis bonis, censemus non venire cum casu manifesto, in hoc ergo iudicio, quælibet cintila offuscat intentionem emparantium. Neque obstat, quod emparantes habeant ius, & causam in dictis bonis emparatis, mediante prædicta reserua, quæ præferre debet libere facultati disponendi, cum non aliter, nec alio modo dictus Ioannes del Cornal disposuisset, nec mandasset prædicta bona, nisi cum prædicta reseruatione, & cum dictus Ioannes libere mandasset, potius consuluit sibi mediante reserua, quam suę sorori. Quia respondetur prædictam reseruam posteriorem esse, cum per eam, non adquisitum fuerit dicto Ioanni del Cornal, nec ab eo ius habentibus dominium aliquod, sed tantum simplex creditum super dictis bonis, dicti verò coniuges allegant, & probant dominium dictorum bonorum in dicta Ioanna del Cornal, à qua ius habent toto suæ vitæ tempore esset domina, & possetrix dictorum bonorum, in concursu verò crediti, & dominij secundum communem censuram præferri debet dominium, nisi probetur anterioritas crediti, quod in præsentiarum non est probatum, cum ambæ partes habeant ius capitulorum matrimonialium, nec dictus Ioannes meram liberalitatem exercuit cum sua sorore, quoniam in dictis capitulis matrimonialibus cauit, *Que la dicha Doña Iuana Maria del Cornal se aya de tener, y tenga como por tenor de los presentes se da, y tiene por contenta, satishecha, y pagada de todo quanto en la casa, y bienes del dicho Iuan del Cornal puede pretender y alcanzar, assi por muerte y successiõ de los dichos sus padres, o del otro dellos.* Ex quibus colligitur dictum Ioannem in adimplementum iurium dictæ sorori competentium prædicta bona mandasse, sicque non est inuerosimile, quod libertas bonorum quæ semper est attendenda, præferri debeat, quia eo modo, quo creditor consentiens alienationi rei sibi obligatæ sibi præiudicat in hypotheca; similiter censemus Ioannem del Cornal, concedendo facultatem disponendi Ioanne del Cornal, in parte suæ dotis, sibi præiudicasse, dicta enim facultas debet sortiri effectum, in prę-

iuditium

iuditium dictæ reseruæ, maxime cum dicta reserua sit obligata ad recuperationem dotis cum obligatione generali omnium bonorum, & iuriũ facta per dictum Ioannem in dictis Capitulis matrimonialibus, & denique cum in simili casu, non semel eodem modo iudicatum extat debemus amplecti decreta nostræ Curiæ, vt elaborata magno præuio consilio, & examine, & aliàs attentis contentis. ET ALIVS Dominus Locũtenens fuit voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & recipere iurisfirmam oblatam pro parte Correctoris, Fratruum, & Conuẽtus Beatæ Mariæ de la Victoria Ordinis sancti Francisci de Paula præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ, sub fideiussoribus præstitis, & alijs arbitrio nostro præstandis, alijs propositionibus, reiectis, & repulsis, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere: EX EO, & aliàs recipitur iurisfirma Conuentus emparantis, quia constat Ioannem del Cornal donasse suæ sorori Ioannę del Cornal in Capitulis matrimonialibus inhitis cum Hieronymo la Raga, quam plurima bona, quantitatum duodecim mille librarum Iaccensium excedentia, cum pacto, tamen reseruatiuo, & non sin eo, quod si donataria decederet sine filijs ad ipsum donantem reuerteretur quantitas octo mille librarum, & sic adueniente casu reseruæ monachis, vti hæredes donantis præferendos esse, in bonis donatis censemus, quia reseruatio facta, per dominum in rebus suis trãslatis in alium inducit præsumptionem, quod voluit sibi retinere reseruatum, quia noluit ius suum integre, & totaliter alteri dare, & à se abdicare, vnde, cum in donantem fiat translatio dominij, purificata conditione, & reseruatione donatio modificata remaneat operatur contractus resolutio, & sic perinde erit in re reseruata, acsi nunquam factus fuisset, ex quibus sequitur, quod verificata conditione reseruæ, ius, & res reseruata præferri debet doti, quando exigitur de bonis dotalibus à donatario possessis, quia dominium in hoc casu retrotrahitur cum respectu, rerum reseruatarum potius consuluit sibi donans, quam donatario. Vnde cum simus in casu iam receptæ dotis, & diu possessæ, & in petitione hæredis reseruantis petentis partem, rerum dotaliũ virtute reseruæ, purificata, iam conditione dicendum est, prædictũ præferri debere, in exactione rerum reseruatarum, aut inutilem reseruam fore. Neque obstabit dicere dotem in concursu aliorum creditorum, de quorum prælatione dubitatur præferri debere, & cum reserua prædicta, & dos, oriantur ex vna scriptura, dos, præferri videtur. Quia respondetur, hic non concurrere petitionem dotis, cum alijs hypotecis, sed sumus in petitione hæredis donantis in bonis reseruatis, hoc vero, quid commune habet, cum prælatione hypotecarum. Neque etiam obstabit hæredes donantis non venire cum dominio, sed vt creditores bona dotalia prætendere, cum ius virtute reseruæ ad quantitatem habere videantur. Quia respondetur, donantem dominium rerum donatarum habuisse, & in pactis nuptialibus prædictis, hæc verba apposuisse: *Que en tal caso los ciento y sesenta mil sueldos, parte y porcion de los dichos bienes dotales ayan de recaer, y recaygan en el dicho Iuan del Cornal su hermano.* Quibus verbis, etsi

octo mille libræ Iaccenses videantur reseruatæ, non reseruatio quantitatis apparere, cum pecuniarum summæ censualia, & res stimatę donatę sint, & sic eo modo quo in donatario existebant ad donantem redire debeant, cum purificata conditione reseruæ, in rebus reseruatis donatio extincta sit, & sic res donata ad donantem per modum extinctionis tituli redire debet, & quamuis non iura dominij Monachi ad emparandum venirent, sed iure crediti non ex eo repellendi sunt, quia cum ex dictis pactis dotalibus manifeste de reseruatione qua se includunt, constet secundum forum obtinere debent, & aliâs attentis contentis.

Sig ✠ num mei Augustini Perez Ciuis Ciuitatis Cæsaraugustæ, & in eadem domiciliati authoritateque Regia per totũ Regnum Aragonum publici Notarij, ac Secretarij substituti Consilij Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, pro magnifico Ioanne Martino de Mezquita Scribæ principalis eiusdem Curiæ, qui huiusmodi vota, & motiua à libro motiuorum dicti Consilij, de anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, vbi continuata, & descripta existunt fideliter sumpta, & collationata extraxi, & signaui.